



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XX. Ad fidelitatem erga dominos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

pensemus, eas denique aliis imponamus leges, quibus ipsi parere non grauaremur. Hoc etenim sincerum est iudicium, Deoque gratum & acceptum, vereque beatus est quisquis ex formula iudicarit. Rerum siquidem omnium auctor præpotens Deus nos omnes creavit, atque ingenti redemit precio, propria scilicet quam pro nobis efflauit anima.

## XIX.

Regii manuscripti  
capitulum  
idem.

Christiana fide imbutus quisque quæ sibi ad salutem conducunt efficito omnia, in Christianam fidem ac religionem omni cogitatione curaque incumbito: ac qui ea quæ sunt sibi ad salutem necessaria animo ac mente (vt quidem omnes velle debebunt) concipere voluerit, ter saltem quotannis ad eucharistiæ perceptiōnem animum præparato. Dicta factaque sua omnia (qui se gratiosum fore confidit) rite dispensato, atque ordine disponito, iuriurandum datamque fidem religiosissime seruato, iustitiam pro sua quisque virili parte ditio-  
nis nostræ finibus omnem arceto, iustitiam denique diuinam dehinc dictis factisque studiose persequitor, atque ita tandem aliquando diuinam omnes cumulate conse-  
quemur miserationem.

## XX.

Regii manuscripti  
capitulum  
26.

Præterea autem ipsi exequamur quod aliis imperamus: semper quidem in Dominum nostrum animo firmosimus atque fideli, honorem eius omnibus neruis ac fa-  
cultatibus nostris tueamur, eiusque pareamus voluntati. Quidquid enim erga Dominum (ea ducti fidelitate quæ est cum virtute & officio coniuncta) fecerimus, magno id nobis erit emolumento; namque in hoc ipso Deus summus omnium rector & Dominus egregie nobis fidelis erit: maxime igitur interest, famulos Domini ratione vt regant & gubernent.

## XXI.

Regii manuscripti  
capitulum  
27.

Christiana fide imbutos omnes admonemus grauiter, vt ex animo Deum amore & perpetuo quodam iudicio diligent, Christianam fidem religiosissime conseruent, diuinis doctoribus haud grauate pareant, Dei leges & doctrinam diligentissime perscrutentur, atque ad suam ipsorum vilitatem sœpe ac multum exquirant.